

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 6970

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Guillaume aux Blanches-Mains, Sens (archevêque)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1169

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Lettre de Henri II à Guillaume, archevêque de Sens, au sujet de ceux qui avaient été excommuniés pour les affaires de Thomas Becket.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCLXXXVI, t. 1, p. 434-435.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, Recueil des actes de Henri II, t. 1, p. 434.

Texte établi d'après a

Rex Anglie Willelmo, Senonensi archiepiscopo.

Venientes ad me nuntios domini pape pro negotio quod inter me et archiepiscopum Cantuariensem vertitur, licet aspera et omni honori meo portarent contraria, pro domini pape reverentia et sancte Romane ecclesie debita devotione honorifice suscepit et qua decuit audivi benignitate, mandatum domini pape modeste admodum admittens quod ipsi deferebant, licet me in meis gravatum sentirem, quos ipsi excommunicatos habebant, extraordinarie precipitata in illos sententia, magis ex impetu animi et motu mentis quam ex rationis librata equitate vel deliberationis consilio. Cum autem super hoc diutius sermo duceretur, petii ut absolverentur quos ipsi sic ligatos habebant. Ipsi vero se illos absoluturos promittebant si illis securitas juratoria prestaretur ab eisdem, quod absoluti ipsorum parerent arbitrio. Hinc autem motus vehementius, juravi quod nullatenus sacramentum inde prestarent, sed, si vellent, a laicis fidei interpositione, a clericis in verbo veritatis promissione, eis securitatem fieri facerem, ut mererentur absolvi. Ipsi autem, esse hoc extraneum a consuetudine asserentes, et a sibi injuncto tenore alienum affirmantes, dixerunt quod ad hoc vestrum habere vellent consilium, qui et archiepiscopus et Apostolice Sedis legatus estis, ut si hoc ex vestro haberent consilio, pro excusatione eis sufficeret, si aliquando transgressionis propter hoc arguerentur. Mittunt itaque ad vos, et ego mitto, et precor quod, honori meo et commodo consulentes, ad hoc consilium vestrum applicetis. Confido autem constanter de vobis, quem pro summo amico complector cum abundantissima devotione, quod in hoc et in aliis meis negotiis et gratiam uberem et diligentiam vigilantem et firmissimam fidelitatem exhibebitis. Desiderio meo plurimum succesisse reputarem, si vobiscum loqui possem,

sed aliorum negotiorum instantia hoc ad presens fieri prohibet. Peto itaque quatenus aliquem de vestris ad me mittatis, per quem plenius vestra mihi voluntas innotescat, et mea vobis pariter notificetur.